Praecztaides Joannes: Quaestio de Angelis.

+.

QVÆSTIO DE ANGELIS

Á

M. IOANNE PRÆCZLAIDE S. TH. Bacc. ad disputandum in alma Acad: Cracouien. proposita.



Præsidente.

ADMODVM REVERENDO D. MARTINO CAMPIO VADOVIO S. Th. Doctore, publico Professore, eiusdemq; Facult: DECANO, ad S. Floriani PRAEPOSITO.

In Lectorio DD. Theologorum ipsis Cal. Febr. Anno Dñi M D XXj. Hora XIIII.

CRACOVIÆ.
In Officina hæredum Iacobi Sybencicheri.

SANCTIS ANGELIS
Præsidibus Regni
honor perpetuus.

CÆlestes Proceres, quibus Præfecturæ prouinciarum à summo totius Orbis Principe datæ sunt, fauete, & conniuete; si mortalis de immortalibus, si terrena labe infectus, de puris, ac beatis mentibus balbutire audeat. Omnis nostra vita; omnia nostra studia, in vestra sunt tutela: sit fas de vobis dicere, quorum præsidio tegimur, benificio iuuamur, solatio recreamur. Vos estis, qui nuper, nutu ac voluntate summi Moderatoris mundi, á sacro Capite, cuius salute publica salus continetur, funestum ferrum reiecistis, qui Nationem laude fidei ac innocentiæ semper florentem, parricidij infamia, vnius scelere contaminari prohibuistis; qui Rempub. diuturnis calamitatibus afflictam, à periculosa perturbatione ac confusione liberastis. Quamdiu nos isto vestro præsidio fore tutos sperare possumus? offenso nostris peccatis Deo, & iam fulmine, Regni robora tangente? Affulsit spes non dubia, à salutari ope, quam nunc tulistis, in hoc caput Regni seruatum esse; vt reliquum corpus saluum ac incolume sit. Confirmate hanc communem spem, vestra gratia, qua plurimùm apud summum Imperatorem valetis, nobis suffragante; vt cæteris in pace perpetua viuentibus; nobis etiam hos ludos Apollinares celebrare liceat; Quos nunc benignis oculis aspicite, & lumen intelligentiæ vestræ, ad nostras mentes porrigite, ac tendite.

QVÆSTIO DE ANGELIS Ex I. p: Summæ Angelici Doctoris quæſ. 50. & ſequ:.

VTrum natura Angelica, à corpore & ab omni mortali concretione ſoluta, atq; ſecundum totam ſuam ſubſtantiam intelligens; in primo creationis ſuæ inſtanti, per gratiam ſimul cum naturâ inditam, meruerit: & poſt primum inſtans, pars perſeuerans in merito, prœmium gloriæ acceperit: pars merito abrupto, peccatum in ſe admittens, damnationem ſubierit, necne?

CONCLVSIO I.

Natura Angelica eſt in rerum natura.

COROLLARIA.

I. Angelos eſſe, veritas eſt fidei, nō demonſtrationis.

2. Exiſtentia Angelica principium habet, ac menſuratur æuo.

3. Eodem momento cum mundo corporeo, vnius eiuſdemq; Opificis operâ Angelos conſtitiſſe, ordo partium vniuerſi perſuadet.

4. In magno numero Angelos conditos eſſe, no-

nem ordines attestantur, ita vt materiales substantias incomparabili excessu superent.

5. Tantam verò multitudinem, diuersitas secundum speciem exornat, vt impossibile sit secundum multiplicationis modos nobis notos; Angelos, sub vna specie multiplicari.

CONCLVSIO II.

Angeli à corpore, & ab omni concretione mortali sunt liberi.

COROLLARIA.

1. In Angelis non est materia, à qua ratio corporis sumitur, quæq; rationem partis substantialiter componentis subit.
2. Est tamen potentiæ permistio, per quam à puro actu segregantur, cum aliud sit in eis essentia & esse, aliud subsistens & subsistentia.
3. Impossibile est Angelum vniri materiæ aut corpori substantialiter, licet contingat vniri vt motorem.
4. Angeli á loco corporeo & motu physico absoluti sunt, dicuntur tamen in eo loco esse, cui virtutis contactu applicantur, & per diuersos contactus

diuer-

diuerſorum locorum ſucceſsiuè, motus eis competit.

5. Angeli ſunt entia neceſſaria phyſicè, & ab intrinſeco immutabilia.

CONCLVSIO III.

Angeli ſunt intelligentes ſecundum totam ſuam ſubſtantiam.

COROLLARIA.

1. Intellectionem Angelicam ab eius ſubſtantia diſtingui ex natura rei, lumine naturali euidens eſt.
2. Angelus ſemper eſt in actu intelligendi, ſed non omnia ſimul intelligit, ſecundũ rationes proprias.
3. Subſtantia Angeli eſt ei ratio ac principium cognitionis ſui, atq; ex ea aſſurgit ad cognitionem Dei, in reliquis naturis tam communibus quâm ſingularibus, tam corporeis quàm ſpiritualibus cognoſcendis vtitur ſpeciebus connatis vniuerſalibus.
4. Animi ſenſus intimi, voluntatisq; affectiones, ſunt extra latitudinem obiecti naturalis cognitionis Angelicæ, quemadmodum & myſteria gratiæ.

 5. Po-

5. Potest tamen vnus Angelus arcanum cordis patefacere alteri, per voluntariam ordinationem proprij conceptus ad intellectum ipsius.

CONCLVSIO IV.

Omnes Angeli, in primo instanti creationis suæ gratiam acceperunt, & per eam meruerunt.

COROLLARIA.

1. Angeli prius fuerunt in via seu statu merendi & demerendi, quàm in termino.
2. Angeli ad merendum beatitudinem supernaturalem, indigebant supernaturali auxilio gratiæ.
3. Secundum gradus naturæ distributi sunt gradus gratiæ, non ex debito, aut ex dispositione à parte naturæ naturalisq; operationis, sed ex diuina voluntate ordinante naturam ad gratiam.
4. Ad susceptionem gratiæ nihilominus disposuerunt se Angeli per actum supernaturalem liberi arbitrij.
5. In primo instanti mereri poterant, peccare non ite-

CON-

CONCLVSIO V.

Post meritum in primo instanti â tota vniuersitate Angelorum inchoatum, pars perseuerans in merito, accepit prœmium gloriæ, pars extincto merito per peccatum, excidit à beatitudine, & damnata est.

COROLLARIA.

1. Nulli Angeli naturâ mali fuerunt, sed aliqui per inordinatum amorem sui, veluti bonum suum sibi ipsi essent, á Deo auersi sunt.
2. In peccato Angelorum non fuit appetitio diuinitatis, nec vnionis hypostaticæ.
3. Boni vnico instanti viam suam, reprobi duobus concluserunt.
4. Æqualis tamen duratio viæ vtrorumq; fuit, tamdiu bonis, in suo vnico bonæ operationis instanti perseuerantibus, quamdiu mali duobus instantibus viam suam terminarent, quorum altero meruerunt, altero lapsi sunt.
5. Angeli beati non possunt proficere in beatitudine, neq; peccare; nec miseri per pœnitentiam à peccatis & pœnis liberari.]


BIBLIOTH: UNIV:
JAGELLONICAE

